„ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus Legis scrip„tum in cordibus suis." Et Cicero l. *de Legib.* Legem naturalem definit, quod sit: *Ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, probibet contraria.* Unde revera implicat peccatum, quod solum sit philosophicum, & non etiam simul theologicum, cum implicet, quod dari possit homo legis naturalis invincibiliter ignarus. Hinc merito ab Alexandro VIII. die 24. Augusti 1690. damnata fuit sequens propositio in ordine 2. "Peccatum Phi„losophicum, seu morale, est actus humanus discon„veniens naturæ rationali & rectæ rationi; Theo„logicum vero, & mortale est transgressio libera di„vinæ legis. Philosophicum quamtumvis grave, in „illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non „cogitat est grave peccatum, sed non est offensa „Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam „Dei, neque pœna æterna dignum."

Ad contrahendum quodcumque peccatum actua- 17
le, sive mortale, sive veniale, tres requiruntur conditiones. *Prima est*, ut sit voluntarium, id est, ut fiat à voluntate consentiente: Unde S. Augustinus *lib. de vera Religione cap.* 4. dicit: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Secunda est*, ut sit liberum, id est, ut sit in potestate voluntatis il-

---

pientiam. Illæ necesse habuerunt oleum sibi comparare, quo lucernas suas accensas habentes amorem sponsi promererentur, & admitterentur ad nuptias tamdiu exoptatas. Oleum autem comparare, quid est nisi divinam conquirere misericordiam, qua omnes indigemus, ut veniam de peccatis, in quæ passim incurrimus, assequamur? Soli Mariæ quæ omne peccatum nescivit, ejusmodi oleo opus non fuit, neque sponsi misericordiam spectare, quæ ejus experta potentiam, & liberalitatem, ab omni omnino miseria fuit præservata, & adversus communes naturæ infirmitates ita præmunita, ut ad sua vulnera medenda misericordiæ oleo non indiguerit. Indiguisset autem absdubio, nec omnium peccatorum minimas offensiones & vulnera vitasset in omni vitæ ætate, nisi innocens & pura concepta fuisset. (1) Reliquæ exeunt in occursum sponso: nempe ei non semper constanter adhæserant, ab eo per peccatum aliquando disjunctæ; sola Maria obviam sponso non dicitur processisse, cui potius occurrisse sponsus dicendus est, ut eam gratia sua præoccuparet, antea quàm communis hostis in eam irrueret. Non processit obviam, quam semper cum sponso fuisse intelligimus, quin temporis momentum fuerit ab illo per peccatum separata.

Itaque te totam ò Maria! ad se rapuit Spiritus Sanctus, quando ceteras communi calamitati reliquit obnoxias. (2) Te solam primo instanti ad domum suam traduxit, tuique decoris providè sollicitus, ne punctum quidem temporis passus est habitare te in tabernaculis peccatorum. Adhuc eras in paternis lumbis inclusa, & blandis jam tum amantissimisque verbis te compellabat dicens: *Audi filia, & vide: & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum.* (3) Tu verò, audita voce dilecti, quanta celeritate accurristi, ac te in ejus Regiam recipisti, relinquens parvula domum tuam, populum tuum, cognationem tuam, penitusque illorum oblita! populus etenim, à quo cognationem contraxisti, nequam est & corruptus, tibique, quæ natura irreprehensa existis, non levem ignominiam afferre potuisset, cùm pulchra sis, & fragrans rosa, quam numquam satis admiranda ratione terra solarum spinarum carduumque feracissima produxit. (4) Audisti sanè filia sponsi commonitionem, & paternæ domus sortisque simul oblita es: sortis scilicet illius, quam Eva progenitrix tua universis filiis suis in hæreditatem reliquit, infinitum passionum & perturbationum cumulum, de quo nihil in domum tuam intulisti. (5)

Idcirco sponsus cum multis laudibus pulchritudinem tuam celebrasset, hortum te conclusum appellat, & fontem signatum. (6) Hortum à se ipso plantatum, arborum multitudine consitum, virtutum omnium floribus ornatum, gratiarum fontibus irriguum, varia fructuum suavitate abundantem, omni ex parte amœnum & deliciis affluentem: hortum non apertum, non cujusvis pedibus patentem ac pervium, sed conclusum; ad cujus januam Dominus ipse excubias egit, ut hostem ab ingressu arceret, nevè serpens tortuosus irreperet, insidiasque, quas primis Parentibus non in vanum paravit, denuo in te moliretur. (7) Fontem signatum, purissimis, ac limpidissimis aquis semper fluentem; quarum claritatem nec bestia accedens sordido pede turbare, nec draco salubritatem veneno inficere posset.

O divina & cœlestis sponsa! O digna digni, formosa pulchri, excelsa altissimi! (8) Quis omnes gratias, omnia dona, quibus te Spiritus Sanctus decoravit, enumerare potens erit! Sed quando id oratio-
ne

(1) *D. Augustinus lib.* 5. *cont. Julian. cap.* 15. *loquens de Christo*: Profectò peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. *Hoc verò quod ait, nullum hominum esse, qui grandior peccatum non fecerit, qua limitatione accipiendum sit, ipse S. D. significavit lib. de Natura & gratia, in quo celebrem illam edidit sententiam*: Excepta S. Virgine Maria de qua propter honorem Domini nullam prorsùs, dum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.

(2) *S. Petr. Damian. Serm. de Annunt.* A Deo electam & prælectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus Sanctus.

(3) *Psalm.* 44.

(4) *Leo Imperator sapientiss. Orat. de Incarnatione, in expositione illorum verborum*: Audi filia, &c. *sic scribit*: Cum adhuc in lumbis paternis esses, progenitor tuus clamat: *Audi filia, & vide, &c.* Audisti verè filia commonitionem, & oblita es populi tui, & sortis domusque paternæ. Sortis videlicet illius quam Eva progenitrix tua toti generi distribuit, infinito illo affectuum, passionum, & animi perturbationum cumulo, quasi hæreditario relicto: at nihil tu illorum in domum tuam intulisti.

(5) *Crysippus Hierosolym. in Sermon. de S. Maria Deipara expendens eadem illa verba*: Populus enim, à quo cognationem contraxisti, populus nequam est, ignominiam tibi adfert: populus imprudens tibi irreprehensæ natura, propaginis familiaritate junctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit. Obliviscere autem una cum populo tuo ipsam domum paternam, &c.

(6) *Cantic. cap.* 4. *v.* 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.

(7) *S. Hieronym. epistola* 10. *ad Eustach.* Hæc est hortus conclusus, fons signatus, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec prævalere fraus inimici: sed permansit sancta mente & corpore.

D. Bernard. in hunc locum Cant. Hortus conclusus tu es, ad quem deflorandum manus peccatorum numquam introivit.

(8) *Hugo de S. Vict. Serm. de Assumpt. totidem verbis.*

illud facere, vel non facere; Non enim sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate, id est, potentia indifferens, tum ad ponendum, tum ad omittendum actum? Hinc ab Innocentio X. pridie Kalend. Junii anno 1653. damnata est sequens propositio Jansenii tertia in ordine; *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Nec etiam sufficit qualiscumque libertas in causa, seu mediata; sed peccatum debet dependere à propria libertate operantis. Unde ab Alexandro VIII. die 7. Decembris 1690. damnata fuit sequens propositio prima in ordine; "In statu naturæ „lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit „illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in „causa sua peccatum originale ex voluntate Adami „peccantis." Et quamvis damnatio dicat *Ad peccatum mortale*, tamen eadem ratio est etiam de peccato veniali; hinc additur & *demeritum*: quod etiam veniali convenit. Tertia conditio est, ut advertatur malitia peccati. *Communis.*

✠ Circa advertentiam ad malitiam peccati, quæ *numer.* 17. & sequentibus plena à P. Lucio desideratur, ut homo mortalis culpæ sit reus, notare necesse est, atque distinguere; *Primum posse esse peccatum mortale imputabile sine advertentia actuali* ma-

---

ne assequi desperamus, illud tamen prædicare non cessabimus, à primo tuæ Conceptionis momento initiatum fuisse æternum tui cum cœlesti Sponso matrimonium per arrham fidei, spei, & charitatis: (1) quibus ornamentis jam ex tunc prædecoratam reperit Spiritus, qui superveniens in te pulchritudinem, puritatem, sapientiam, omnem denique gratiam cumulavit. (2) Nullam omnino temporis moram inter tui creationem & desponsationem intercessisse: cùm formareris, præventam fuisse à Domino, atque in ipso parentis utero oppigneratam; nempe justitia & gratia originali, tamquam pignore futuræ perpetuæ desponsationis. (3) Quæ omnia si quis quieto animo perpendat, de perpetua Virginis munditie dubitare, vel minus pie sentire desinet: quin potius dissonum, omnibusque pietatis & justitiæ legibus repugnans ei videbitur, Dei Patris liberalissimi & potentissimi filiam prædilectam, matrem Filii sapientissimi ab ipso efformatam, sponsam Spiritus Sancti, qui amoris, gratiæ, & omnium bonorum fons est, ab ipsis fuisse minùs diligenter curatam & custoditam, atque dæmonis arbitrio, ipsis spectantibus, vel tantisper traditam, ut ab eo impudentissimè tractaretur, violaretur, deturparetur. Quis enim talia audiens non continuò horrescat? non improbet? non detestetur?

Verumtamen, ut hactenus exposita tanta sint, quibus majora & graviora excogitari nequeant, lubet alia ejusdem Virginis decora, aliamque dignitatem perlustrare, quæ si superius dictis adjungantur, ad ejus immunitatem ab originali magis confirmandam, non parùm contulerint. Filiam Regis, matrem Regis, sponsam Regis, multis nominibus Reginam esse oportet. Ecce Regiam & Imperatoriam dignitatem, quam omnes Mariæ tribuunt, fatentur, & prædicant. Sicut enim Rex est, qui natus est ex ea, ita Mater, quæ illum genuit, Regina censeri debet. (4) Ex quo illud præterea consequitur, omnium simul Angelorum & hominum, ceterarumque rerum creatarum dominam esse. Itaque regnum Mariæ non angustioribus terminis continetur quàm Dei; & sicuti nulla creatura est, quæ non Trinitatis dominio subjaceat, ita prorsus nulla reperiri potest neque cœlestium, neque terrestrium, neque infernorum, quæ ante thronum Mariæ genua non flectat. Omnes ei tamquam Reginæ famulantur ac serviunt. Serviunt elementa: serviunt homines: serviunt Angeli: dæmones ipsi pavent & contremiscunt ad ejus imperium non valentes sustinere tantæ Virginis vocem. Quid verò creaturas omnes ejus nutui obedire miramur? Ipse Dei Filius, qui Patri per omnia æqualis est, Mariæ imperio subditus esse voluit; adeo ut citra omnem exaggerationem palam pronuntiare possimus, Virginis imperio omnia, etiam Deum ipsum famulari. (5)

Dicat nunc quicumque æquus rerum æstimator fuerit, quid tam amplum, tam honorificum, tam à communi intelligentia remotum, tam supra omnem fidem incredibile de Maria affirmabimus, quod tanto imperio dignum non sit? quid, quod tantam potestatem non necessario consequatur? quod tantam Imperatricem non deceat, atque ipsi quodam quasi jure non debeatur? Enim vero quæ dominatur omnibus, quæ præsidet omnibus, quæ imperat omnibus, dignior, excelsior, sublimior omnibus est. Cui omnia lubentissime parent, longe supra ceterorum conditionem & sortem collocata esse debet. Nihil dicimus de insensibilibus, quæ sicut Deum dominum agnoscunt, à quo bona, perfecta, & utilia creata fuere, ita Mariam tamquam dominam venerantur, per quam in pristinum illum statum restituta sunt, de quo fuerant per primi hominis prævaricationem deturbata. (6) Animantia cæca silentio præterimus, quæ cum Adami peccatoris imperium detrectaverint,
sub

(1) *Joan. Gerson super Magnificat*: Beatam respice primo modo, dum ab instanti suæ creationis initiatum est matrimonium cum æterno sponso suo per arrham fidei, spei, charitatis, & ceterarum virtutum.

(2) *Idiota in Contempl. de B. Maria Virg.* Nemo æqualis est tibi: nemo major te, nisi Deus. Spiritus Sanctus superveniens in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omnium virtutum & gratiarum ornamentis prædecorata, pulchritudinem, puritatem, sapientiam, & omnium virtutum gratiam adauxit.

(3) *S. Petrus Chrysologus Serm.* 140. *de Annunt.* Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut à Dei sponsa humanæ Desponsationis arceat & suspendat affectum. Neque auferat à Joseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata, cùm fieret.

(4) *S. Athanasius*: Quemadmodum ipse Rex, qui natus est ex Virgine; ea propter Mater, quæ illum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara proprie & vere censetur.

(5) *D. Bernardinus tom.* 1. *serm.* 61. *art.* 3. *c.* 3. Tot enim creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt Trinitati. Omnes enim creaturæ, quemcumque gradum teneant in creatis, sive spirituales ut Angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut corpora cœlestia, sive elementa, & omnia quæ sunt in cœlo & in terra, sive beati, sive damnati, quæ omnia sunt divino imperio subjugata, eadem gloriosæ Virgini sunt subjecta. Ille enim, qui Filius Dei est & Virginis benedictæ, volens paterno principatui principatum æquiparare maternum, ipse, qui Deus erat, matri famulabatur in terra, & erat subditus illi. Propterea hæc est vera propositio: Divino imperio omnia famulantur, etiam Virgo: & iterum hæc est vera: imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.

(6) *D. Anselm. de Excellent. Virg.* Utique cuncta, quæ Deus bona, & utiliter fecit, in eo statu, in quo condita fuerunt, sicut diximus, esse desierunt. Et per hanc Virginem in pristinum statum revocata sunt ac restituta .... Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria jussione constituendo; & Maria est Domina rerum omnium, singula congenitæ dignitati per eam, quam meruit, & gratiam restituendo.

malitiæ. Nam falſum omnino eſt numquam graviter peccari, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ut per plenum, & firmum judicium intellectus de malitia objecti deliberet, ac vitandi peccati deſiderio ſtimuletur. Hæc doctrina firmiſſimis argumentis ex Scriptura depromptis fulcitur. Primo abſurdum enim eſt à peccato excuſare perſecutores Apoſtolorum; qui tamen præviam mentis illuſtrationem circa illius peccati malitiam non habebant, nec illud vitandi deſiderio ſtimulabantur: cum potius hac in perſecutione obſequium ſe præſtare Deo arbitrarentur, juxta illud Chriſti Diſcipulo alloquentis oraculum: *Veniet hora, ut omnis, qui interficiet vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo: & hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Secundo Apoſtolus, dum perſequebatur Eccleſiam, proculdubio graviter peccabat, ut ipſe fatetur, 1. ad Timot. 1. *Fui Blaſphemus*, inquit, *& perſecutor, & contumelioſus.* Sed præviam illam animi illuſtrationem & attentionem ad actionis pravitatem non habebat, immò potius ſe laude dignum ob illud facinus exiſtimabat, dum ſe abundantius ſupra coætaneos ſuos paternarum traditionum æmulatorem agnoſcebat, juxta illud Epiſtolæ ad Galatas c. 1. "Audiſtis converſationem »meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam »illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos »coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum." Non ergo neceſſe eſt ad peccatum, ut attendat peccator ad actionis pravitatem. Tertio, idem probat Chriſti Domini pro ſuis crucifixoribus oratio. *Luc.* 23. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* At tantum abeſt, ut ſe prave agere arbitrarentur, quin potius juſtitiam ſe adimplere exiſtimabant, cum Chriſtum ſeductorem, & malefactorem haberent, non Dominum gloriæ cognoſcerent. Quarto, illos peccare certum eſt, quos Deus, *dimiſit vias ſuas ingredi*, quoſque *tradidit in deſideria cordis eorum:* At illi non modo ad actionis pravitatem non attendunt, nec deſiderii ab ea abſtinendi ſtimulis agitantur: quin potius cum gaudio, & oſtentatione quadam nefaria perpetrant facinora. Non eſt igitur neceſſe ad imputationem peccati, ut homo ad ejus pravitatem attendat, ejuſque vitandi deſiderio moveatur. His omnibus expletis, *S. Bernardus* in Tractatu ad *Hugonem à S. Victore* probat in magnis ignorantiæ tenebris eos verſari, qui peccari poſſe per ignorantiam non agnoſcunt: Adde illa Pſalmorum Oracula: *Pſal.* 9. "Exacerbavit Dominum pec»cator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæ»ret. Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ »ſunt

---

ſub quo in ſtatu innocentiæ ipſe conditor ea conſtituerat non ita libenter Mariæ imperio ſeſe ſubmitterent, nec adeo celeriter ejus voci obtemperarent, ſi in primi Parentis inobedientiam incurriſſe viderent, atque in Creatorem ſuum aliquando rebellem extitiſſe.

Mittimus hæc omnia: venimus ad homines. Quis conferat Reginam cum ſervis, Dominam auguſtiſſimam cum infima & abjecta plebe? Ex hominibus adſumpta ad regnum, natura quidem cum ipſis communicat: gratia vero tanto ſuperior eſt illis, quanto ſol reliquos planetas virtute & claritate antecellit. Genus quidem ſuum ſervorum eſt, qui mille ærumnis undique promuntur: ac Reginam & Imperatricem Auguſtam ab omnibus communibus legibus & tributis quis dubitat eſſe ſolutam, haud aliter quàm ipſum Cæſarem? (1) Tota gens ſua captiva eſt, & morti deſtinata. Sed etiam Eſther parentes & fratres, univerſaque Hebræorum natio, lege ab Aſſuero lata turpiſſimæ neci erant addicti, & tamen eam legem non pro ipſa, ſed pro omnibus eſſe conditam, Eſther ſupplici exoranti Rex ipſe amantiſſimis verbis confirmat. (2) An minus æquum in Mariam Imperatricem Deum, quàm in Eſther Aſſuerum fuiſſe dicemus? minus eam amaſſe? minus illi tribuiſſe?

Verum non tantum fuit legibus parum honorificis ſoluta, ſed ſingularibus præ ceteris privilegiis ornata, ita ut ſolus, qui eam creavit ſupremus Artifex ſupergrediatur, (3) prætèrea nemo ſit, qui non longo poſt ipſam intervallo conſiſtat. Prodeant itaque ad Mariæ conſpectum ex omni hominum ordine quicumque ſanctitate gloriaque præſtantes de maximis in ſe à Deo collatis beneficiis gloriantur: oſtentent nobis omnia gratiarum genera, quibus honorati fuere: cuncta enim vel in unum collata, ipſis ultro fatentibus, longè ſuperat Mariæ gratia ſingularis, qua præ omnibus eam replevit Spiritus ſanctus, qui in illa requieſcere voluit. (4) Singulari, inquam, præ omnibus gratia: ita ut, quod paucis mortalibus conceſſum eſſe conſtat, id omne in Mariam contulerit. (5) Neque id tantum, ſed ampliora etiam in quovis genere gratiæ privilegia, (6) quò exploratum omnibus eſſet atque perſpectum, Reginam à ſervis infinito quaſi intervallo diſtare. (7)

Accedat ergo Virginum chorus. Pulchræ illæ quidem ſunt, ſpecioſæ, amabiles: multò vero cunctis ſpecioſior, pulchrior, amabilior earum Regina, quæ unica dilecta eſt, tota pulchra, nec umquam cum aliis, quæ aliquando peccati maculam ſubierunt, computata. Accedant Patriarchæ, & Prophetæ. Quis eorum ſive ſapientia cœleſti, ſive ſanctitudine vitæ, ſive fœcunditatis gloria cum Maria conferendus? Quid ſibi gratulatur Jeremias? quid exultat Baptiſta? Magnum quidem illud, quod in vulva matrum ſanctificati, non prius communem hanc lucem adſpexere, quàm ab originali labe mundati fuerunt. Quid vero? non aliud quiddam majus honorificentiuſque Mariæ conceſſum fatebimur? Illi purgati in utero meritò exultant, beatos ſeſe prædicantes; verum multo illis beatior Maria exultat ſingulari lætitia in Deo ſalutari ſuo, qui quanta potuit illi magna fecit Dominus Omnipotens. Illis beatior quoniam primum felicitatis gradum adepta, numquam delinquendo, illi in ſecundo gradu à peccato mundati conſtiterunt. (8) Ideo Maria ſingularibus Dominum laudibus magnificat, quoniam pro majori dono majores ab homine innocente gratiæ rependi debent. (9) Itaque cùm ampliora in omni genere gratiarum privilegia fuerit adſequuta, (10) apte colligitur non fuiſſe, ſicut illi, in utero ſanctificatam & purgatam, ſed puram & Immaculatam conditam eſſe. Quare non gaudet, ſicut Baptiſta poſt planctum, quæ à ſervitute peccati propter regiam dignitatem præſervata, non habuit umquam quod doleret.

Accedat denique prima omnium mater Eva, & Conditoris liberaliſſimi beneficium extollat, quod pulchram ſe & Immaculatam creaverit, quæ mater omnium viventium futura erat. Illa vero coram Maria ancillam ſeſe humilem fatebitur, milleque nominibus ab ipſa ab ruborem uſque ſuperatam. Si illam enim, quæ tamen omnibus ejus poſteris mortem erat turpiſſimam allatura, congruum fuit illibatam & puram è manibus Creatoris ſui prodire; quanto purior & innocentior in ſui creatione Maria, quæ illius opprobrium & ignominiam abſtergere debebat, pro illius morte vitam, pro illius ignominia honorem, pro illius ſervitute libertatem afferendo? Parum eſt, niſi turpiſſime hallucinamur, Mariam ori-
gi-

(1) *Leg.* Princeps, *ff. de Legibus.*

(2) *Eſther cap.* 15. Quid habes, Eſther, ego ſum frater tuus: noli metuere: non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

(3) *S. Petrus Damian. Mariam appellat:* Opus, quod ſolus artifex prætergreditur.

(4) *S. Anſelm. de Excell. Virgin. cap.* 4. Spiritus Dei, ipſe amor Patris & Filii corporaliter venit in eam, ſingularique gratia præ omnibus in ipſa requievit, & Reginam cœli & terræ fecit ſponſam ſuam.

(5) *S. Bernard. epiſt.* 174. Quod vel paucis mortalibus conſtat eſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari, tantæ Virgini fuiſſe negatum.

(6) *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *art.* 1. *in corp.* Rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. *Et artic.* 2. Majora in quovis genere privilegia gratiæ deferenda ſunt Matri Dei, quàm ſervis.

(7) *S. Joan. Damas. orat.* 2. *de Aſſumpt.* Matris Dei, & ſervorum Dei infinitum eſt diſcrimen.

(8) *S. Cyprian. epiſt.* 3. Primum felicitatis genus eſt non delinquere.

(9) *S. Thom.* 2. 2. *q.* 106. *art.* 2. Innocens tenetur ad majores gratiarum actiones, quia majus donum ei datur à Deo.

(10) *S. Thomas loco ſuperius jam laudato.*

ginali gratia donatam prædicare (quod illi cum Eva commune eſt) niſi hoc adjiciamus: Mariæ gratiam, poſt Filium ſuum unigenitum, fuiſſe ſupra omnem menſuram uberrimam, abuntiſſimam, pleniſſimam, de cujus nempe plenitudine omnes nos eramus accepturi. (1)

Verùm progrediamur ad Angelos, quorum cœleſtium ſpirituum principatum diximus tenere Mariam. Illis omnibus abſdubio excelſior eſt, atque ſupra omnium choros exaltata ſublimiori ſedet ſolio. (2) Sunt illi quidem ſanctiſſimi, puriſſimi, candidiſimi ſpiritus, ſunt ornatiſſimi & nobiliſſimi Divinitatis Miniſtri, qui Trinitatis ſolio proximiores adſiſtunt: Maria vero illorum ſuprema Domina eſt ac Regina, cui omnes obſequentiſſimi famulantur cunctis ſublimior, purior, candidior. Dicamus verbo. Cunctis, ſolo Deo excepto, ſuperior, natura omnibus formoſior, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim, omnibus beatiſſimis exercitibus nulla comparatione glorioſior. (3) Quare ſi illi firmamenti ſtellæ meritò appellantur, quia lucem gratiæ, in qua conditi ſunt, nullius peccati tenebris obſcurarunt; Maria candore originalis gratiæ rutilantiſſima ipſius ſolis radios claritate & ſplendore vincit. (4)

Fuerint illi (quæ ſumma ejus laus eſt) ſemper incorrupti, ſinceri, integri. Gloriabuntur vero quaſi jam inde Mariæ æquales ſint? O quàm latum, Deus bone, diſcrimen! Angelorum ſanctitudo, priùs quàm firmaretur, quot quantiſque viciſſitudinum caſibus obnoxia fuit? Nempe aliquando debilis, variabilis, inconſtans, ante ſoliditatem fragilis fuit, ante firmamentum labens, ante ſtabilitatem ruens, titubans, nutans. At Mariæ gratia ſemper ſtabilis conſtans, ſolida, obfirmata, inconcuſſa, quæ baſis erat ſanctificationis, ſupra quam omnium ſanctitas erat ædificanda. (5) Siquidem firmamenti columnæ magna parte corruerant: natura angelica in multis erat corrupta: omnia vacillaverant. Quid tunc conſilii caperet Deus, ut cuncta reſtaurarentur ac ſolidarentur? Mariam ædificare conſtituit in domum ſolidam & bene munitam, quæ nullo modo fluctuare poſſet. (6) O quàm profunda jaceret illius fundamenta! quàm lata! quàm firma!

Profectò ii ipſi Supremi Spiritus, quorum virtus & firmitas perpetuitatis adeo mirabilis eſt, de Mariæ virtute, ac firmitate mirantur, ejuſque gratiam ſingularem utpote perciti collaudant. (7) Quid autem eſſet, cur tanto opere mirarentur, ſi Mariam non jam, dum formaretur, nutantem & vacillantem, ſed in peccati cœnum prolapſam & jacentem vidiſſent? Concludamus ergo, omnium creaturarum gratiam, etiam ſublimiorum, in unum collectam, ſi cum Mariæ gratia in ejus creatione ipſi collata comparetur, multùm ab hac ſupra omnem cogitationem ſuperari.

Nunc autem adverſus hæc momenta quid in cordibus meditantur originalis Marianæ innocentiæ adverſarii? quid opponunt? Legem communem. Scriptura Sacra, ajunt, aperta eſt: non patitur interpretationem. Sententia eſt in univerſos lata: *Omnes* (in Adam) *peccaverunt.* (8) Neminem excludit: *Si unus pro*

(1) *D. Thom. de Villan.* Gratia plena, de cujus plenitudine accipiunt univerſi.

(2) *D. Anſelm. Serm. de Excel. Virgin.* In æternitate conſilii ſui eam dominatricem & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam Angeli illi datam, & in conſortium conceptam eſſe credemus hominum peccatorum? Exiſtimet hoc, qui vult; iis quæ dicimus adverſetur, qui vult. Ego, donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ poſſe dici, quæ dixi dico, quæ ſcripſi, non muto. *Ex antiquiori Brev. Rom. excuſſo apud Junctas ann.* 1550.

(3) *S. Epiph. Orat. de Laud. Virg.* Solo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis, natura formoſior es ipſis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico.

S. Chryſoſtomus in Liturgia: Verè dignum eſt glorificare te Deiparam, & ſemper beatiſſimam, & penitus Immaculatam Matrem Dei noſtri, honorabiliorem Cherubim, glorioſiorem incomparabiliter Seraphim, &c.

(4) *S. Ephren.* Intemerata prorſuſque pura Virgo Deipara, ſublimior cœlicolis, purior ſolis radiis & ſplendoribus, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim, & nulla comparatione ceteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior.

(5) *S. Ildephons. lib. de Virgin. S. Mariæ, c.* 10. Nam Angelicæ forma naturæ ante ſoliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante ſtabilitatem ruens, ante robur titubans atque nutans. Hæc fœmina ſanctificationis baſis eſt..... Mater Dei eſt, ſacrarium Spiritus Sancti eſt, templum ſingulariter unicum factoris ſui eſt. Verum Angelicæ beata conditio naturæ poſt ſtabilitatem, ſolida in bonis, poſt ſoliditatem, indeficiens in amore divinitatis, &c.

(6) *Idiota in Contempl. de Maria Virg. cap.* 4. Nam in principio cùm ceciderant Angeli, natura erat corrupta, Deus offenſus, & diabolus victor. Sed per te, ò benedicta Virgo Maria, vita Angelica reducitur. *Et paulo infra:* Sed quia corruptæ erant omnes & peccato vacillaverant, ideo te glorioſam Virginem ædificavit in domum ſolidam & fortem quæ nullo modo vacillare poſſet. Ideo excidit columnas ſeptem ad te fortiter & ſublimiter ſuſtentandam, &c.

(7) *S. Hieronymus, vel ut aliis videtur, Sophronius in Epiſt. de Aſſump.* Conſtat Beatam Virginem ampliora promeruiſſe virtutum privilegia, & percepiſſe gratiam ab Angelis collaudatam. Unde etſi mirabilis eſt eorum virtus & firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Mariam, quam obumbravit virtus Altiſſimi.

(8) *Apoſt. ad Roman. cap.* 5. *v.* 12. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

BIBLIOTECA CENTRAL

„sunt viæ illius in omni tempore. Auferentur judicia „tua à facie ejus. Psalm. 49. Intelligite hæc qui „obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit „qui eripiat. Palm. 71. Effunde iram tuam in gentes, „quæ te non noverunt."

Confirmatur ex *S. Augustino lib.* 1. *Retractationum*, *cap.* 15. "Nam & qui nesciens peccavit, „*inquit*, non incongruenter nolens peccasse dici po„test quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens „tamen fecit; ita nec ipsius esse potuit sine volunta„te peccatum. Quæ voluntas utique, sicut definita „est, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid „vel non admittendum, vel aspiciendum. Quod enim „si noluisset, non fecisset, non coactus est facere: „Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia vo„luit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. „Ita nec peccatum sine voluntate esse potuit, sed vo„luntate facti, non voluntate peccati, quod tamen „factum peccatum fuit: Hoc enim factum, est, quod „fieri non debuit." At si necessaria esset attentio ad actionis pravitatem, numquam peccaret, qui nescit peccatum esse quod facit, neque sola facti voluntate, sed etiam voluntate peccati quodlibet peccatum esset voluntarium.

Iterum confirmatur ex eodem S. Doctore. Manichæis affingebat Julianus Pelagianus errorem illum, quod

---

pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. (1) Urget itaque nos divinum oraculum, ut neque Mariam excipiamus.

Sed præterquamquod nec ita aperta est Scriptura Sacra, quæ in hoc loco exponitur à catholicis Doctoribus, & multis aliis huic Mariæ privilegio, de quo agimus, non obscure favet; ut jam visum est; nec ita urgens sententia, quæ Tridentinum Cœtum in Spiritu sancto congregatum, post addibitum maturum examen, longamque totius rei discussionem, non impulerit, ut Mariam includeret in communi decreto de peccato originali; quin Patres conceptissimis verbis testantur, Concilii mentem longè à tali consilio distasse: (2) nihilosecius alia nobis via nodum in præsentiarum dissolvere placet, uni legi universali, quam objiciunt mille aliis opponendis.

Quid? lex de transfusione peccati originalis est universalis. Profecto ita est. Nunc vero quærimus & nos. Minusne universalis est illa, quæ ipsum peccatum est consequuta, quasi pœna in mulieres lata: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos?* (3) Attamen Maria Virgo ab illa lege excepta sine doloribus peperit, nullasque ærumnas, nullas passa est puerperii sordes, quæ in reliquis fœminis retributionis primæ prævaricationis sunt; (4) ab illis enim tantum fuit libera, quantum distavit à culpa. (5) An illa alia minus generalis est: *Sub viri potestate eris, ipse dominabitur tui?* (6) quæ lex mulieres in posterum viri potestati addixit, non natura, sed culpa. (7) Nihilominus Maria ab hac lege sicut à quibusdam generalibus meritò excipitur, quæ nec conceptus multiplicavit, nec sub viri potestate umquam fuit. (8)

Quid vero dicemus de ea sententia toties in Scriptura repetita? *Non est homo, qui non peccet*; (9) *in multis offendimus omnes*: (10) *Septies cadit justus.* (11) An minus universale illud verbum *omne*? Minus inculcatum? At vero in eo quamquam uni-

(1) *Idem epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 5.

(2) *Concil. Trident. ses.* 5. *de peccato originali*, §. *fin.* Declarat tamen hæc ipsa S. Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, &c.

(3) *Genes. cap.* 3.

(4) *S. Cyprian. Serm. de Nativ. Christi.* Ideo innoxiam affligi non decuit: nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum à ceteris differens natura communicabat, non culpa.

(5) *S. Ildephons. lib. de Perpetua Virgin.* Gemitus & corruptio in partu non nisi ex delicto & maledictione primæ originis veniunt.... At B. Virgo plena gratia nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit, quia quantum aliena fuit à culpa...... tantum immunis fuit à corruptione carnis, necnon & à gemitu & doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Evæ, cùm pariunt.

versalissimo minime comprehendi Mariam, omnes credimus; & firmissime tenemus, omne peccatum actuale vel levissimum in vita effugisse, quod præter ipsam mortalium nemini concessum est.

Præterea, nonne omnes universali lege nascimur filii iræ, (12) atque primam vocem in planctu nascentes edere cogimur? (13) cùm tamen Mariæ natalis non dies luctus fuerit ac doloris, sed lætitiæ & exultationis, nec sibi tantùm, sed etiam universo mundo, cui summum, ut Ecclesia canit, attulit gaudium. Tandem (ne infinita exempla in unum congerere velle videamur) cui non dictum est à Domino post primi Parentis prævaricationem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris?* (14) Quis ab ea lege exceptus, si verborum corticem spectemus? Et verò Deipara ea lege soluta est. Itaque ab omni corruptione liberam credimus nec sepulchri horrorem, nec putredinis fœtorem sensisse: sed incorrupto corpore simul & animo supra sidera ascendisse innixamque super dilectum suum cœlos ovantem intrasse, & supra Angelorum choros exaltatam, propter Divinitatis thronum consedisse æternum regnaturam.

Quæ omnia si ita sunt, ut dicimus, si nemo in dubium vertit, si leges communes & universalissimæ contrahuntur, ne Virginis honorem vel minimùm lædere videantur, si ab iis omnibus excipitur; quare legem de peccato originali nobis obtrudunt, religionem animi causantes, quasi nullam exceptionem susciperet? Quænam est, per Deum immortalem, hæc levitas & inconstantia? quid communem legem requirunt, in qua totum ab initio possedit Spiritus Sanctus? (15) quid legem, in qua omnia facta sunt præter legem? Nec enim alia lex pro Maria, aliave regula omnino adhibenda est præter Filii sui Conditorisque potentiam & voluntatem.

Itaque respondeant nobis, rogamus & obtestamur: quid est, cur Matrem Filius non præservaverit à labe peccati originalis? Non potuit? quando ergo ab-

(6) *Genes.* 3.

(7) *S. Aug. de Genesi ad litt. lib.* 11. *c.* 37. Hæc servitus cujusdam conditionis est potiùs quàm dilectionis; & maritum habere dominum meruit mulieris non natura sed culpa.

(8) *Div. Thomas* 3. *part. quæst.* 30. *artic.* 2. *ad* 2. Sicut Augustinus dicit Sermone de Assumptione. Virgo Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur, quia nec conceptus multiplicavit, nec sub viri, id est, mariti potestate fuit.

(9) *Reg.* 3. *cap.* 8. *v.* 46.

(10) *Jac.* 3. *v.* 2.

(11) *Proverb.* 24. *v.* 16.

(12) *Apost. ad Ephes.* 2. *v.* 3.

(13) *Sapientiæ c.* 7.

(14) *Genesis c.* 3. *v.* 7.

(15) *S. Ildephonsus libro de Virginit.* Quid legem naturæ requirunt in Maria, ubi totum quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus?

quod à peccato immunem esse dicerent eum, qui flagitium aliquod perpetraverit ad malitiam ejus non attendens, nec repugnante conscientia illud committens, immo exultante id perpetrans audacia, & quasi se bene agere existimans. Quid ad hæc S. Augustinus? de Manichæis ipsis id credere refugit, ceterum, assertionem horret ut Catholicæ Fidei repugnantem, lib. 4. contra Julianum Pelagianum, *cap.* 8. "Quid autem ad nos pertinet, quia Manichæos di„cere affirmas, si quis homicidium conscientia for„midante commiserit, reus est, quia timuit: Si autem „aliquod facinus exultans perpetrarit audacia velut „credens se ex fide facere, quod male facit, eva„sit culpam? Quod quidem numquam audivi dice„re Manichæos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive „etiam ipsis calumnieris: cum hoc Catholica Fides „non dicat, quam tenemus, & cujus te pondere „urgemus? *Præterea, hanc propositionem*: Num„quam peccatur, nisi prævia peccati cognitione ani„mus illustretur, ejusque vitandi desiderio stimu„letur, *plerique Galliarum Episcopi, & Parisien„sis Academia*, Falsam esse, & viam aperire ad „excusandas excusationes in peccatis, *olim pronun„tiarunt. Non minus erronea est illa Propositio*: „Peccatum Philosophicum, seu morale est actus „humanus disconveniens naturæ rationali, & recte ra-

---

abbreviata est manus Domini? Noluit, cùm tamen posset? O quam insignem injuriam Deo inferunt! (1) Unde arguunt noluisse? Potuit eam ab omni scelere actuali vindicare; & vindicavit. Potuit fomitem peccati & inordinatos concupiscentiæ motus prohibere; & prohibuit. Potuit integram & illæsam virginitatem cum fœcunditate & partu, mirabili nexu conjungere; & conjunxit. Potuit eximere corpus Virgineum à corruptione post mortem; & exemit. Verbo: potuit hæc & plurima alia supra & præter omnem legem facere; & voluit facere; & fecit. Potuit vero eam à lege servitutis peccati, à macula turpissima, à lethali contagio, venefico morsu ejus animam præservare: & tamen noluit? & non præservavit?

Sed jam orationis vela contrahere oportet, ne longius, quàm par est, in altum invecti, dum singula, quæ animo undequaque occurrunt, persequi volumus, nec portum in tempore tenere, nec dicendi finem aliquando reperire valeamus. Nunc autem potioribus ac summis capitibus expositis, quæ originalem Mariæ innocentiam commendant ac suadent; quid reliquum est, nisi ut communibus conceptis votis exoptemus, ut pia hæc sententia non amplius intra liberos opinionis terminos contineatur, cui dissentire impunè liceat, sed in ulteriori certitudinis gradu constituatur, de quo deturbari nequeat, cuique nemo refragari audeat, quin temerarii & in fide suspecti notam continuò incurrat? Qua in re non tantum pietatis, sed æquitatis præcipuam rationem haberi, cum omnia hactenus exposita suadent, tum vero ad id exoptandum acres nobis stimulos admovet, quod non sine summa animi nostri voluptate videmus, venerandum hoc mysterium post multorum seculorum tractus perque varios quasi gradus eò tandem esse perductum, ut non temerè præsagire credamus, non longè abesse, nisi jam adventaverit, tempus illud optatissimum in Dei mente præordinatum, quo hujus mysterii veritas mundo elucescat; quæ hactenus inter pias fidelium meditationes uniuscujusque zelum jam satis probavit: (2) atque

(1) *Idem S. Doctor utitur simili argumento ad probandam perpetuam Deiparæ virginitatem cap.* 1. Si Virgini nostræ aut generationem aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo injuriam facis, negas enim voluisse incorruptam servare, quam fateris absque corruptione adire virginem potuisse. Negas Deum quod vellet, facere quivisse, quem concedis Genitricem integram invenisse, corruptioni deditam reliquisse.

(2) *Scribit B Birgitta lib.* 6. *suarum revelat. cap.* 55. *Virginem Deiparam super Immaculatæ Conceptionis suæ mysterio sic eam alloquutam esse*: Scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, ut postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus; sic placuit Deo, quod amici sui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.

ad Jesu-Christi gloriam commendandam tantùm aperta valebit, quantùm ad ipsius Redemptoris fidem stabiliendam, in qua nos omnes salvos fieri oportet primis Ecclesiæ temporibus latens contulit.

Sive enim intrinseca piæ sententiæ momenta spectare velimus; ea sunt ita solida, quæ non tantùm tutiorem, verùm longè probabiliorem efficiant. Sive extrinseca loca; innumera Patrum & Doctorum omnium ferè ætatum testimonia confirmant. Sive populorum consensum; quæ natio catholica est, quis in toto orbe christiano vel remotissimus angulus, in quem hujus mysterii cultus non penetraverit, atque Deiparæ Conceptio purissima non prædicetur & collaudetur? Sive Romanorum Pontificum commendationem; quis eorum est ultimis præsertim Ecclesiæ seculis, qui non eam opinionem laudaverit, commendaverit, promoverit, suamque mentem in eam propensissimam non exhibuerit, (3) jam exemplo & verbis ad piam sententiam defendendam excitando, jam oppositam cohibendo, jam cultum Conceptionis promovendo & amplificando, denique Jubilea, Indulgentias plenissimas, mille insuper spiritualium gratiarum genera ejus cultoribus impertiendo? Id verò tam effusa liberalitate, ut qui bullas, brevia, constitutiones, diplomata, quæ à summis Pontificibus, in gratiam tanti mysterii ad hunc usque diem emanarunt, omnia percensere vellet, ne is faciliùs uno haustu immensum mare absorberet, vel enumeraret litoris arenas.

Sive Ecclesiarum cultum (qui maximi in re momenti habendus est) consideramus; præter privatum, quem ab antiquissimis temporibus in aliquibus Ecclesiis Orientalibus & Occidentalibus exhibitum non levia monumenta demonstrant; quod aliud mysterium est, cui hodierna die solemnior cultus in Ecclesia Romana decretus sit, postquam à tribus, & ampliùs seculis publicè in ea coli cœpit? Cujus progressus ut speciem aliquam exhibeamus; post Sixti IV. tempora, qui quem in Ecclesia reperit cultum insigniter promovit, (4) atque Officium, quod incipit: *Sicut lilium*: suprema auctoritate in Romanam Ec-

(3) *Sixtus IV. in Constitutionibus superiùs commemoratis. Julius II. Leo X. constit. incipiente*: Ad ea quæ, *dat. II. K. Junii anno* 1515. *Paulus III. Constit.* Breviarium, *data die tertia Julii anno* 1536. *& Alexander VII. in Bulla incipiente*: Sollicitudo: *plures præterea S. Pontifices commendant Catechismum Cardinalis Roberti Bellarmini, in quo expressè docetur Conceptio Immaculata in expositione Salutationis Angelicæ.*

(4) *Sixtum IV. reperisse in Ecclesia cultum publicum Immaculatæ Conceptionis M. V. apertè colligitur ex Bullis ab ipso editis anno* 1476. *&* 1483. *quæ in Jure canonico insertæ sunt inter Extravag. commun. prout claré demonstrant hæc verba ex eisdem*

„rationi. Theologicum vero & morale est transgreſ„ſio libera divinæ legis. Philoſophicum quamtumvis „grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo „actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non „eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſol„vens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum." Quæ propoſitio Athæos, & Infideles omnes, & peccata quantumvis gravia perpetrantes, necnon Chriſtianos excæcatos, & obduratos, à peccato abſolvit, à pœna immunes facit, ut felicior illorum conditio hac ex parte videatur, quàm Fidelium, qui Deum noverunt, & nondum in illam cæcitatis abyſſum prolapſi ſunt. At vero, Paganos in ignorantiæ tenebris ſedentes, peccata nihilominus æterna pœna digna commiſiſſe, teſtatur Apoſtolus ad Epheſios 4.

Oſtendi poteſt etiam ex aliis abſurdis. Superflua certe diceretur paterna Dei erga nos ſollicitudo, inutilis charitatis divinæ Filium Unigenitum pro ſalute hominum dantis commendatio cenſeretur, labores Apoſtolici pro revocandis ab errore hominibus, ut vani abjicerentur, ſi prava illa opinio recepta eſſet; Ad quid enim verbi divini Prædicatores in Regiones remotiſſimas proficiſcuntur, ſi Gentes Chriſtianorum dogmatum inſciæ nullatenus Deum offendant, nec peccata mortalia & æterna pœnæ digna committant;

Eccleſiam induxit, Clemens VIII. hujuſmodi feſtum ſub ritu duplici celebrari conceſſit; Clemens IX. adjunxit Octavam. Gregorius XV. & Alexander VII. proprium illi Immaculatæ Deiparæ Conceptionis titulum affixerunt. Clemens XI. tamquam feſtum *de præcepto* in univerſa Eccleſia ſervandum indixit. Benedictus XIV. ad ſummos, ut ipſe loquitur, honores evexit, Pontificiam Capellam in Baſilica Liberiana ex decreto Conſiſtoriali eidem Immaculatæ Conceptionis myſterio conſecrando. Poſtremò tuis permotus precibus, CAROLE, Rex piiſſime, Clemens XIII. indulſit, ut duplici ritu majori primæ claſſis in tuis ditionibus celebraretur.

Quid plura? Ipſa nos ſanctiſſima & falli & fallere neſcia Mater Eccleſia docet, immò ſtrictiſſimè jubet in præſenti ſolemnitate Deum Patrem orare, illum plenis buccis appellando Virginis Mariæ præſervatorem, qui ex morte Filii ſui prævisa eam ab omni labe adſeruit, ut per ejus puriſſimam & Immaculatam Conceptionem dignum Filio ſuo habitaculum præpararet. (1) Quod quidem teſtimonium quanti æſtimandum ſit, ſentiunt omnes, quibus exploratum eſt, Eccleſiam pro eo, quo regitur pietatis juxta ac prudentiæ ſpiritu, numquam paſſam eſſe (quidquid in lectionibus hiſtoricis aliquanto ſit indulgentior) ut in publicis orationibus, quæ ipſius nomine ſive in officio, ſive in miſſarum ſolemniis recitantur, leviſſima rei alicujus ingeratur mentio, quaſi novi cujuſdam tituli ad Deum exorandum adhibiti, cui poſſit aliquis prudenti ratione refragari. Quod cùm aliis exemplis bene multis confirmari poteſt, tum in oratione pro feſto Apparitionis B. Virginis Mariæ dictæ *de Columna* comprobatur. In qua cùm enixè contenderetur à Poſtulatore, ut illius Apparitionis toto orbe percelebris ac ſolidiſſimis traditionis monumentis innixæ memoria fieret, nullo pacto induci potuit S. Pontifex ut annueret; propterea quod non ita certa res & explorata videretur, ut citra omnem dubitationis aleam eſſet conſtituta.

Poſt hæc autem quid plura requirimus? Qui hujus myſterii veritati non libenter acquieſcat, ſi Eccleſiarum Paſtores, ſi Doctores, ſi publicas Academias, ſi omnes, nullo excepto, Ordines Religioſos, (2) ſi nobiliores & illuſtriores ubique Cœtus, ſi viros pietate & doctrina præſtantes percurramus, reperiemus omninò neminem. Inter privatos verò pauciſſimi erunt, ne dicamus, nulli. Quod ſi qui ſunt adhuc, qui præjudiciis magis acti, quàm recta ratione utentes contra nitantur, ii apud ſe ipſos & intra intimiores cordis receſſus adverſa meditari coguntur, palam vel leviter mutire prohibiti & quidem ſeveriſſimis pœnis. Lege enim ſancta & inviolabili cautum eſt, ut ſi quid minus pium in publicum effutiverint, quod huic myſterio adverſetur, ipſi retractatione adhibita publicè diſſolvant, quæ aliquam difficultatis ſpeciem habere videantur: quod fit, ut omnia, quæ fuerint contra meditati in laudem potius & commendationem Immaculatæ Conceptionis inſerviant.

Nunc

dem bullis deſumpta lib. 3. de Reliq. & Vener. Sanct. c. 2. §. Sanè. Cum Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publicè feſtum ſolemniter celebret.

(1) *Oratio Eccleſiæ in feſto Conceptionis*: Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, quæſumus, ut qui ex morte ejuſdem Filii ſui prævisa eam ab omni labe præſervaſti, nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas.

(2) *P. Marcus Antonius Gravois in tract. de ortu & progreſſu cultus Immaculatæ Conceptionis recenſet à pag. 181. percelebres Theologos Ordinis Prædicatorum aſſerentes M. Virginem abſque ulla labe originalis peccati fuiſſe conceptam; ſed hic præcipue inſerimus verba Franciſci Creſpi de Borgia Epiſcopi Vicenſis Dominicani in epiſtola ad Alexandrum VII. data quinto idus Julii anno 1656.* Continuata, *ait*, & antiqua SS. Pontificum erga B. Virginis Immaculatum Conceptum pietas aſſiduuſque favor, cordibus fidelium inſertam devotionem innatumque ſtudium ad idem myſterium totis viribus amplectandum venerandumque mirum in modum creſcere fecerunt...... Enixè oro B. V. ut è theſauris fidei latentem veritatem veteranam noviter, & infallibiliter nobis & toti Eccleſiæ credendam proferat, amplectendam proponat. Clamat hoc unum totius Chriſtianitatis religio: Romani Pontifices ſtraverunt viam, paraverunt aditum: S. Patres fundamenta jecere: Doctores Scholaſtici ſuis firmant ſcriptis: Univerſitates jurejurando amplectuntur: Reges ardenter exoptant. Clamant populi, omneſque utraque bucca Virginis animationem immaculatam buccinant, puriſſimam profitentur. Tandem B. Pater, Religio mea Dominicana (cujus Inſtituto quadrageſimus hic annus meæ addictionis) quod verbo, calamo, ſtudio indefeſſa profitetur, lacrymabunda, irrequietaque ſollicitudine firmandum idem exorat. Adſit, adſit S. Pater, omen veſtrum. Adſit ſoliditatis Apoſtolicæ firmiſſima & ſemper vincens ſententia. Audiant gentes ſeculo tuo aureo bonum nuntium. Firmetur tuis humeris Immaculata Virginis Conceptio; teque totus orbis profiteatur Virginei ortus ſervatorem, puritatis adſertorem, Marianumque propugnatorem.

In Manuali Ordinis Prædicatorum, Hiſpali edito anno 1524. hæc habentur: Quia Ordo Prædicatorum ſolitus eſt Sanctorum doctrinæ adhærere, ſuſtinuit hucuſque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali; ſed jam de hoc non eſt curandum, cùm ſit materia nullius utilitatis & valde ſcandaloſa, præſertim cum tota Eccleſia, cujus uſus & auctoritas ſecundùm B. Thom. prævalet dicto Hieronymi & cujuſcumque alterius Doctoris, jam aſſerat, quod fuit præſervata: nec mirum; quia tempore Auguſtini tanta quæſtio erat de Aſſumptione B. Virg. unde dicit: Homo non fingat mendaciter apertum, quod Deus manere voluit occultum, &c.

tant; immo in ſalutis diſcrimen vocentur documentis, & adhortationibus Concionatorum, qui illos ad cogitandum de Deo, & de lege divina excitant, quam aliàs ſine mortalis peccati, & æternæ pœnæ reatu violarent, ut peccati Philoſophici inventoribus, aut propugnatoribus viſum eſt? Non eſſet cur parentes de ſua filiorumque ſalute ſolliciti, tam ſedulam in illorum inſtitutione operam collocarent; cur Paſtores è ſacris Pulpitis verbum, legemque Dei tam accurate exponerent? Siquidem homines in ignorantia Dei legumque divinarum relicti, voluptati tranquillo ſervirent animo, & abſque peccati formidine. Denique tam exiguus non eſſet Electorum numerus, tam *arcta non eſſet via, quæ ducit ad vitam.* Non diceret Propheta *Pſalm.* 118. *Longe à peccatoribus ſalus, quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.* Quæ verba S. Hilarius expendens, in Pſalmum 118. Litera 20. "Non habet veniam, *in„quit*, ignoratio voluntatis, quia ſub ſcientiæ fa„cultate neſcire, repudiatæ magis, quàm non reper„tæ ſcientiæ eſt reatus. Ob id enim longe à pec„catoribus ſalus eſt, quia non exquiſierunt juſtifi„cationes Dei: cum non utique ob aliud conſig„natæ literis maneant, quàm ut ad univerſorum „ſcientiam notionemque defluerent."

Merito itaque Alexander VIII. Pontifex Maximus diſ-

Nunc autem, ſi his benè perpenſis alia ejuſdem Virginis myſteria conſideremus, quæ cultum & ſolemnitatem in Eccleſia obtinent, Nativitatis, & Aſſumptionis in cœlum, inveniemus profectò ferè non majoribus nec illuſtrioribus monumentis commendari. Neque enim dubitari poteſt, fuiſſe tempus, cùm eorum veritas non ita in aperto erat, qualem nunc eſſe videmus. Primo enim de ſupradictis myſteriis nullum in ſacris Codicibus verbum legebatur (1). Silent præterea de Aſſumptione corporis Virginei in cœlum priorum ſeculorum Patres (2), niſi unum vel alterum excipere velimus, qui ei in ſpeciem repugnare videntur (3). De Nativitate vero Deiparæ nulla interea in Eccleſia publica memoria, nulla hujus S. myſterii ſolemnitas, nullus cultus. Duorum nativitates quarto ſeculo in Eccleſia celebrari accipimus, Jeſu-Chriſti D. N. & Joannis Baptiſtæ, præterea nullam (4). Quid verò? Poſt medium ævum ſeculo ſexto agi de his cœptum eſt; Patres ſcribunt, annuntiant, prædicant: è ſuggeſtu ad populum fidelem exponunt, confirmant, laudant; multiſque nominibus hæc tanta privilegia Matri Dei deberi, evincunt. Progreditur ulteriùs; cultus publicus incipit; propagatur; Eccleſia tandem publicâ illum auctoritate decernit. Actum eſt. Conſentiunt omnes. Contra vel mutire nemini ampliùs integrum.

His quaſi gradibus, volventibus ſeculis, Doctoribus rem pro dignitate diſcutientibus, novaſque in dies rationes producentibus, accedente tandem Eccleſiæ cultu, hæc duo myſteria ex tenebris eruta ac in media luce collocata ſunt. Nulla quidem nec à Concilio, nec à Summo Pontifice profecta eſt definitio, qua ſtatuatur prædictas veritates inter fidei articulos recenſendas eſſe. Verùm interea ipſa Dei Genitricis dignitas atque univerſalis ab Eccleſia Catholica cultus talibus myſteriis decretus conſtanter omnibus Theologis Doctoribus perſuaſêre, fieri minimè poſſe, quin Maria Virgo fierit ante Nativitatem ſanctificata, & cum corpore incorrupto ad cœleſte regnum adſumpta: quoniam Eccleſia (& hæc illis ratio urgentiſſima omnium illabefactabiliſque videtur) non poteſt objectum publicâ veneratione collendum proponere, multò minus præcipere, quod non certò ſanctum ſit: ne (quod impium eſſet) fideles omnes in communem errorem inducere diceretur (5). Ex quo concludunt: qui his veritatibus mente non acquieſcat, qui

cum

(1) *S. Thom. 3. p. q. 27. art. 1. in corpore hæc ſcribit*: De ſanctificatione B. M. quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura canonica traditur, quæ etiam nec de ejus Nativitate mentionem facit. *Et paulò poſt*: Sicut enim Auguſtinus in Serm. de Aſſumpt. (*nempe tunc hic ſermo credebatur ab omnibus eſſe Auguſtini*) ipſius Virginis rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſit adſumpta in cœlum, (quod tamen Scriptura non tradit) ita rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero.

(2) *Benedictus XIV. de Feſtis part. 2. cap. 8. numer. 15.* Vetuſtiſſimos quidem, *ait*, primævæ Patres Eccleſiæ de corporali Mariæ V. Aſſumptione ſiluiſſe: medii tamen ævi poſtremæque ætatis Patres tum Græcos, tum Latinos eam diſſertiſſimè tradidiſſe. *Ideo ſuperioribus notulis monuimus lectores, alterius eſſe, quàm D. Auguſtini, ſermones de Aſſumptione, qui illius nomine circumferuntur, ut critici omnes affirmant, contrà quod multis ſeculis creditum erat.*

(3) *De Aſſumptione corporis Virginei in cœlum non ita fidenter loquutos fuiſſe aliquos Patres priorum ſeculorum, quin de ea dubitaſſe, Launoio viſum fuit: in quibus recenſet Epiphanium, Sophronium, Bedam, & Ambroſium, qui lib. 1. Interpretationum in Job cap. 6. loquens de Chriſto, ait*: Ipſe eſt reſurrectio, ipſe eſt primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem prærogativam futuræ reſurrectionis accepimus: ſolus tamen ipſe adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit. *Verùm quo ſenſu interpretari poſſimus hæc verba ſine Mariæ præjudicio, quidque ad reliquos Patres reſpondendum ſit, doctiſſimè exponit Benedict. XIV. lib. 2. de feſtis cap. 2. quem legere magnum opere pretium erit.*

(4) *S. Auguſtinus Serm. 21. & 22. loquens de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ*: Natales, *inquit*, dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia: ſolos duos natales celebrat, hujus (*Baptiſtæ*) & Chriſti. Quibus verbis quid validius, *ait Benedictus XIV. de feſtis loco ſupra laudato, cap. 9.* proferri poteſt ad probandum, Auguſtini ætate nondum B. Mariæ Nativitatem celebrari conſueviſſe? *Simulque animadvertit, Lectiones, quæ in officio Nativitatis ex S. Auguſtino deſumptæ leguntur, reperiri in Sermone de Annuntiatione, quam paucis mutatis facilè fuit Nativitati accomodare.*

(5) *S. Bernardus loco ſupra laudato*: Fuit proculdubio Mater Domini ante ſancta, quàm nata. Nec fallit omnino ſancta Eccleſia ſanctum reputans ipſum Nativitatis diem, & omni anno cum exultatione univerſæ terræ votivâ celebritate ſuſcipiens: *epiſt. 174.*

D. Thom. 3. p. q. 27. art. 1. arg. ſed contra: Eccleſia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur feſtum in Eccleſia niſi pro aliquo Sancto: ergo Beata Virgo in ipſa ſua nativitate fuit ſancta.

Superioribus teſtimoniis aliiſque benè multis rationibus permoti, omni aſſeveratione affirmare non dubitamus, hos ſanctiſſimos ac piiſſimos Doctores Bernardum & Thomam, ſi noſtra tempora nacti fuiſſent, piæ ſententiæ de immaculata Deiparæ Conceptione utroque pollice lubentiſſimè ſubſcripturos: idque ipſum præter alios innumeros D. Thomæ diſcipulos, eoſque clariſſimos non ſemel pronuntiaſſe S. Ludovicum Bertrandum accipimus. Qua de re V. Petrus Caniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 7. agens de mente D. Bernardi, ſic loquitur: Quid verò illum facturum fuiſſe putemus, ſi cum

hoc

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

distinctiunculam illam peccati Philosophici, & Theologici, & opinionem, quæ hoc veluti cardine nitebatur, damnavit, ut *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam*; Excommunicationem ipso facto incurrendam, Sedique Apostolicæ reservatam tulit in eos omnes, qui hanc Propositionem atque opinionem docuerint, defenderint, ediderint, aut de ea etiam disputaverint, publice seu privatim (nisi forsan impugnando) tractaverint; In virtute denique Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii omnibus Christi Fidelibus prohibuit, ne damnatam Propositionem ad praxim deducant. Decreto edito die vigesima quarta Augusti anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo.

Deinde ne ex Luciana Doctrina decipiaris, præter ea, quæ ex Summa Alexandrina hactenus recensuimus, placet etiam hæc alia ex P. Antoine subnectere, quo facilius valeas gravia peccata distinguere, ac declinare. Ait itaque: Ad Mortale etiam secundum se imputabile, sufficit advertentia virtualis, & interpretativa malitiæ, aut periculi illius, consistens in eo quod quis possit ac debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat. Quia 1. malitia actus secundum se ei merito imputatur, qui debuit, & potuit illam advertere, & vitare actum, cui anexa est. Nam ei malitia satis voluntaria est, & libera, cum potuerit, & debuerit ab eo vitari. Ut malitia secundum se imputetur ex communi sententia sufficit consensus voluntatis interpretativus, cum scilicet voluntas potest, & debet repudiare objectum malum, & non repudiat. Ergo etiam sufficit advertencia interpretativa: nam ad peccatum imputabile non minus requiritur consensus voluntatis, quàm advertentia rationis. 2. Peccatum mortale est libera transgressio præcepti graviter obligantis: Sed ad talem transgressionem sufficit advertentia virtualis interpretativa: nam talis transgressio est libera, hoc ipso quod posita est ex defectu advertentiæ actualis, quæ potuit, & debuit haberi, hoc ipso enim talis transgressio ita posita est, ut potuerit non poni à voluntate. Advertentia virtualis, & interpretativa est ea, quæ quidem non habetur, sed haberi potest ac debet. Sed qui legem violat, quam potuit ac debuit cognoscere, perinde se habet moraliter, & in æstimatione prudenti, in ordine ad imputabilitatem etiam moralem (licèt non tantam, quod advertentia non est affectata) ac si eam actu cognosceret; ac proinde non excusatur à peccato etiam morali; *Paulo aliter*. Advertentia interpretativa est ea, cujus privatio est culpabilis, cum ipsa potuerit, ac debuerit haberi, ac proinde non excusat à peccato actiones & omissiones secutas contra legem, cum ipsa sit culpabilis, nec tollat voluntarium directum ac indirectum, ac interpretativum sufficiens ad culpam; nec culpa possit quemquam excusare. Igitur malitia actus merito imputatur voluntati, hoc ipso quod actus malus procedit à voluntate libere, & scienter, vel cum vincibili ac culpabili ignorantia aut inadvertentia agente. 3. Vincibilis ignorantia seu carentia cognitionis habitualis, non excusat à peccato. Ergo multo minus excusat inconsideratio, & inadvertentia vincibilis: nam (ut ait Suarez) ignorantia non refertur ad voluntarium vel involuntarium ratione habitualis scientiæ qua privat, sed proxime, & immediate ratione actualis considerationis quam tollit: quia voluntas non movetur proxime, & immediate ab habituali cognitione, sed ab actuali. Inadvertentia autem erit vincibilis, & voluntaria, hoc ipso quod potuit, & debuit depelli per advertentiam; sicut ignorantia habitualis est vincibilis, & voluntaria hoc ipso quod potuit, & debuit depelli per inquisitionem veritatis.

Equidem nihil est volitum quin præcognitum: & voluntarium est id, quod est à principio intrinseco cum cognitione; sed cum cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. Nam ad voluntarium indirectum, & interpretativum sufficit cognitio virtualis, & interpretativa. Item cum actus moralis definitur, actus qui libere fit cum advertentia ad regulam morum, intelligi debet advertentia vel actuali vel virtuali, & interpretativa, alioqui definitio mala est, cum non conveniat omni actuali morali, nempe peccato commisso ex ignorantia, vel inadvertentia vincibili.

Advertentia virtualis, & interpretativa adest cum quis potest, & debet advertere ad præceptum, seu obligationem, vel malitiam actus; & tamen non advertit. Potest tamen advertere, quando ex aliqua cognitione præsenti ejusdem vel alterius objecti, aut circumstantiæ, prudenter ac circumspective agendo, deveniret in cognitionem malitiæ, quam novit quidem habitu, sed actu non advertit. Tunc enim habet sufficiens principium discurrendi, & considerandi, an actus sit licitus vel illicitus. Et si hoc non cognoscit aut considerat, male consultat, & imprudenter agit: unde merito illi imputatur peccatum, quod inde sequitur. Nam in omni deliberatione humana primo considerandum est, utrum res liceat, nec ne: eodem enim præcepto, quo tenemur vitare peccatum, & servare legem, tenemur adhibere advertentiam & considerationem, cum sine ea lex observari nequeat.

Hinc in iis, quæ intrinsece mala sunt contra legem naturalem, ad virtualem advertentiam malitiæ moralis habitualiter notæ sufficit, ut consideretur ipsa actio secundum se, seu ut quis mere advertat, quid agat. Nam hoc ipso facillime excitari potest actualis cognitio malitiæ, utpote habentis cum illa intrinsecam connexionem, si considerate & sine præcipitatione agatur, ut notat Suarez. In iis vero, quæ non sunt per se mala, sed vetita solo jure positivo, quamvis semper sufficiat consideratio ipsarum actionum secundum se, cum non habeant intrinsecam connexionem, tamen si quis non laboret ulla ignorantia facti, sola objecti propositio simul cum cognitione malitiæ, si qua par est consideratione & mora, in agendo procedatur. Possunt & alia principia deliberandi in talibus rebus occurrere, ut si quis non cogitans de die abstinentiæ videat alios vesci cibis quadragesimalibus, vel die festo nihil cogitans de Sacro, audiat festivum campanarum pulsum, aut videat populum ad templum accurrentem. Ex his aut similibus excitari potest cognitio præcepti: quæ tamen si adhibita sufficienti attentione, & consideratione non habeatur, tunc inadvertentia erit naturalis, & invincibilis, qualis esse solet in timoratis, & circumspectione agentibus: in aliis autem plerumque est vincibilis, & culpabilis. Quod si malitia non sit habitualiter nota, tunc actus est culpabilis, si ignorantia sit vincibilis, quia hæc non excusat à peccato. ✠

† Circa ea, quæ hic notat & tradit *Theologus*, quoad plenam advertentiam à me desideratam, ut homo mortalis culpæ sit reus, sufficit mihi, ultra ad id probandum adducta *ibi* momenta, & allegatos classicos Auctores, superaddere quæ recol. mem. Benedictus XIII. in appendice ad Concil. Roman. in Instructione in forma dialogi inter Confessarium & pœnitentem tradit *part.* 1. sic expresse *ibi*: Pœniten. Come ho da conoscere, se il peccato è mortale, ò veniale? Confess. Se l'offesa è contra la carità di Dio, ò del Prossimo in cosa grave, è l'avete fatta con pienna avvertenza, è deliberata volontà, il peccato è mortale; ma se l' offesa è in cosa legiera, (eccettuati alicuni casi, ne' quali la leggerezza della materia non iscusa da colpa grave), ò benchè sia in cosa grave, se l' avete fatta senza la piena avvertenza, ò senza la piena deliberazione, è peccato veniale. Quid, quæso, clarius? †

Item tria requiruntur potissimum ad peccatum 18
mortale, quorum si unum desit, jam non erit peccatum mortale, sed ad summum veniale. *Primo* igitur ex parte intellectus requiritur plena advertentia, & deliberatio. *Secundo* ex parte voluntatis requiritur perfectus consensus. *Tertio* requiritur gravitas materiæ *Communis*. Ad pleniorem autem horum captum
est advertendum 1. Plenam, & perfectam adverten- 19
tiam in eo consistere, quod intellectus per plenum, & firmum judicium cum libero, & expedito interiorum sensuum usu de malitia objecti deliberet expendendo singula; è contra vero esse semiplenam, & imperfectam advertentiam ad mortale insufficientem:
2. Plenum & perfectum voluntatis consensum si- 20
tum esse in plena, & perfecta voluntatis approbatione plenam intellectus advertentiam præsupponente; è contra vero esse semiplenum, & imperfectum consensum item ad lætale insufficientem; ex quibus consequens est cum plena advertentia competi posse imperfectum consensum; est enim voluntas semper libera: & cum imperfecta advertentia minime stare posse plenum consensum, nil namque volitum, quin præcognitum; atque ideo si objecti malitia sit imperfecte repræsentata, non potest esse perfecte
volita. 3. Quod tres in voluntate spectantur motus, 21
videlicet primo primus, qui vel omnem rationis usum, & malitiæ advertentiam prævenit, vel ex vehementissima passione sensitiva, & distractione rationem perturbante ita celer est, ut cohiberi non possit; unde motus primo primus libertate non potitur: 2. motus secundo primus, qui advertentiam supponit aliqualem, vel majorem, adhuc tamen ita imperfectam, ut solum semiplene liber haberi possit; denominantur autem præfati actus primo primus, & secundo primus respective ad plenam advertentiam, quam suo ordine præveniant; 3. motus perfectus, & plene deliberatus, & est, qui supponit rationem plene expendentem singula, & non perturbatam, vel vehementissima passione libertatem simpliciter tollente, nec vehementi eam diminuente, proin est actus consensus perfecte liber.

Ulterius magis magisque dicta elucidantur addu- 22
cendo juxta communes conjecturas, signa valde utilia imperfectæ advertentiæ, imperfectique consensus, per quæ quisque tute adjudicare potest, se non habuisse plenum consensum, ac proinde memoriæ committendæ pro serenitate conscientiæ, ut advertit Fel. Pot. *c.* 4. *de peccatis*: ex quo ut sequitur. Signa igitur imperfectæ advertentiæ sunt. 1. Si remisse, & ut ita dicam, ad similitudinem semidormientis, rei malitiam apprehendis. 2. Si postea melius considerans judicas te id non fuisse facturum, si ita apprehendisses. 3. Vehementi passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut fere nescires quid ageres?

Signa imperfecti consensus sunt 1. Si quando actionem aliàs graviter malam quis fecit, non fuit plene sui compos, sed quasi semidormiens, distractus &c. ita ut judicet se id non fuisse facturum, si plene vigilasset; immo addit Mastr. in *theol. moral. disp.* 15. *de peccatis*, quod si quis post factum dubitet an id fecerit in somno vel in vigilia, num esset

---

cum omnibus piè sentire renuat, temerarius is & in fide suspectus habeatur (1).

Et videlicet nos ultra æquum & justum facere videbimur, si optemus, ut de sanctissimo ac toto orbe venerabili mysterio immaculatæ Deiparæ Conceptionis, supremo universalis Pastoris judicio tantumdem statuerit? O nos beatos! Si votorum compotes fieri mereremur. O quàm effusas, quàm immortales Deo gratias haberemus, si supremus Pastor tantum huic mysterio tribuendum judicaverit! O felicem faustumque diem illum, si illuxerit, quo omnium omnino fidelium non tantum linguæ ac guttura, sed & intimi spirituum sensus omni interclusa dissentiendi via, ad tantæ Virginis sine macula conceptæ laudes & præconia celebranda nobiscum consentient!

Ecce tibi, Rex, CAROLE potentissime ac religiosissime; ecce latissimum, quem tuis regiis oculis subjicimus campum, ex quo uberrimos immortalis gloriæ fructus reportare valeas. Facinus patet egregium, ad quod tuæ virtutis conscii Majestatem tuam provocare audemus: ac per istam spectatissimam pietatem tuam insignemque devotionem in Dei Matrem per animi tui magnitudinem ad gloriosa quæque sponte paratam, per ceteras virtutes tuas, denique per quidquid in vita tibi charius est, obsecramus te, ac si opus est, adjuramus etiam, ut occasionem ultro oblatam arripias, atque novam hanc laudem ceteris ornamentis tuis adjungere velis. Suscipias rursus quæsumus supplices, immaculatæ Virginis causam regia tua sollicitudine profectò dignam, & potentissimas adhibeas preces tuas, quas multi ponderis esse apud S. Sedem non semel expertus est, ut à Romano Pontifice, quod communibus votis concepimus, impetremus. Perfice hanc rem, Princeps gloriosissime, ut te regnante & procurante, non tantùm in hispania, sed in universo orbe tantæ Virginis laudes plenissimæ personent: ejusque purissima & sanctissima Conceptio non ore tantùm externove cultu, sed corde vero & sincero, intimisque medullis collatur, adoretur, credatur, & prædicetur immaculata.

Id avidissime expectant cunctæ nationes: hoc incredibile Angelis, hominibus, quin & ipsi Deo gaudium afferet: hoc Acatholicorum virginitatem ceterasque Deiparæ virtutes impudentissimè impetentium ora fortiùs obstruet: hoc novo & gravissimo ictu impurissimi draconis caput obtundet. Postremò quò magis perpetuæ immunitatis Mariæ ab omni peccato fides stabiliatur, eò Majestatis tuæ thronus, quem pridem sub umbra alarum suarum collocatum voluisti, solidior constabit: regium diadema, quo cingeris, novis pretiosioribusque gemmis ornatum splendidiùs fulgebit: catholicorum Regum præclara progenies ramos suos latiùs per totum orbem protendet: blanda denique & tranquilla pax inter christianos Principes nullo armorum strepitu perturbata regnabit. O! faxit, faxit D. O. M. & quæ continuò ad eum mittimus vota benignè excipiens, Majestatem tuam cum regia sobole in commune Ecclesiæ ac Reipublicæ bonum diu sospitem & incolumem servet.

hoc nostro seculo vixisset, quo tot Ecclesia una cum Romana conjunctæ non solum in unam eamdemque sententiam, sed etiam in dicti festi celebritatem tanto consensu conspirant? *Scribebat hæc Canisius seculo XVI. quis decimooctavo de eo dubitare audebit.*

(1) *Nulli Theologorum integrum esse, piæ de Assumptione corporis Virginei sententiæ refragari sine summæ temeritatis, impietatis, & petulantiæ nota, communi calculo pronuntiant saniores & illustriores Theologi, quorum censum damus ex ipso Bened. XIV. loco citato. Claudius Joly, dissertat. de verbis Usuardi. Suarius* 3. *p. q.* 37. *art.* 4. *disp.* 25. *Thomasinus tract. de dier. fest. celebritate lib.* 2. *cap.* 20. *Melchior Canus lib.* 12. *de locis theolog. cap.* 10. *Natalis Alexander histor. eccles. seculi* 2. *cap.* 4. §. *unic. V. Canisius lib.* 5. *de Deipara V. cap.* 5. *Denique Card. Gottus qui affirmare non dubitat*, eum qui contrariam sententiam propugnaret, vehementer de hæresi fore suspectum. . . . quòd præsumi posset, falsò eum judicare B. Virginis venerationem per errorem ab universali Ecclesia proponi.

BIBLIOTECA CENTRAL